

PROBLEMATATA

3

PATHOLOGICA,

Solemniter ad disputandum in inclyta Argentoratensium Universitate proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO,
DOCTORE ET PROFESSORE MEDICINÆ ORDINARIO, COMITE
Palatino Cæsareo, & Reipubl.
Archiatro:

Respondente

JOHANNES ULRICO WIDHOLZ,
AUGUSTANO.

Die 22 Mensis Februarij.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. XLIX.

*Wolfgang Ebrnrieg à Profing
Din Stein*

PROBEMATA
P A T H O -
L O G I C A

Solemniter ad disputandum in lingua Latina
conscriptum

MELCHIORE SEBIZIO
DOCTORE ET PROFESSORE ME-
DICINAE ORDINARIO, COMITE
Palatino Carolo, & Reipubl.
Aichiano;

Respondente
JOHANNI ULRICO WIDHOLZ
AUGUSTANO.

Die Mensis Februarij.



ARGENTORATI,
Typis BERNARDI WELPERI.

M. DC. XLIX.

Handwritten text at the bottom of the page, likely a library or collection stamp.





PROBLEMA

I.

Quo modo & ratione Galenus summa morborum genera investigarit?



D cognosci potest partim ex libello Galeni de morborum differentiis, partim vero ex libro 1. & 2. de methodo medendi.

Methodus Galeni summa morborum genera investigandi est ista. Ait, ea indagari non posse, nisi prius cognitum sit, quid sit morbus. Hoc autem cognosci non posse, nisi prius exploratum habeatur, quid sit sanitas. Nam si ignoras, quid sit τὸ καλὰ Φύσιν, etiam ignoras, quid sit τὸ πικρὰ Φύσιν. Ut vero sciatur, quid sit sanitas, principium desumendum esse ex communi omnium hominum confessione.

At omnes in universum dicunt, se valere sanosque esse, quando partes corporis sui actiones edunt inculpate. Aegrotare autem se asseverant, cum partes actiones sibi à natura demandatas vel male, vel nullo modo obeunt. Erit igitur sanitas vel actio ipsa, vel διάθεσις, ἢ κατὰσχευή, dispositio, sive constitutio partium naturalis, unde actio procedit. Morbus contra, vel dispositio & constitutio partium præter naturam erit, à qua actio leditur: vel ipsamet actionis lesio.

Cum enim sanitas & morbus sint contraria: contraria autem in eodem genere contineantur, & sub illo etiam plurimum inter se distent, necesse est, ut quo in genere est sanitas, in eodem quoque morbus existat.

Atqui sanitas non est ipsa actio partium: quoniam genus semper inest suæ speciei. Actio autem non semper inest sanitati:

A

quia

quia sani sunt plurimi, qui multas actiones, naturales & animales, quandoque intermittunt. Ergo neque morbus ipsa erit actionum laeso.

Cum verò sanitas illa sit naturalis partium constitutio, à qua actiones dependent, sequitur, morbum esse constitutionem præter naturam, qua actiones partium laedit.

Quot igitur cause sunt actiones secundum naturam producentes, tot etiam sunt cause easdem offendentes. At tres sunt cause actiones secundum naturam producentes: *εὐπαρσία* in partibus similaribus, bona compositio in dissimilaribus, & in utrisque unio, sive continuitas. Ergo tres quoque sunt cause easdem offendentes: & proin tria summa morborum genera. I. in similiaribus, *νοσώδης δυσπαρσία*, morbosa intemperies: qua sub se varias habet species, variasque specierum differentias. II. mala compositio in dissimilaribus: qua similiter multas sub se species complectitur. III. Unio, sive continuitas ^{soluta} in utrisque, qua itidem sub se aliquot species continet.

II.

Quæ sint species morbosæ intemperiei, & singularum specierum differentiæ?

Hoc Galenus multis in locis docuit: cum primis verò libro de differ. morbor. & in methodo medendi: & quidem præcipuè libro 7. 8. 9. 10. & 11. Est quippe intemperies ista vel simplex, vel composita. Simplex iterum quadruplex: calida, frigida, humida & sicca. Composita itidem quadruplex: calida & sicca: calida & humida: frigida & sicca: frigida & humida. Utraque rursus aut materialis, qua conjuncta est cum aliquo humore: aut immaterialis, qua solitaria est, & nullum sibi adjutum humorem habet.

Differentiæ verò sunt sequentes. Intemperies ista primum vel universales sunt, vel particulares. Illæ totum corpus, aut maximam illius partem occupant. Hæ unam duntaxat aliquam particulam affligunt.

II. 17.

II. Intemperies vel sunt ἐπιμαί, quæ ita partibus infixæ sunt, ut facile elui nequeant: vel ἀρρηκταί, quæ recens impressæ sunt, ac propterea facile cedunt.

III. Intemperies vel æquales sunt, quando omnes corporis particula æquabiliter ad aliquam intemperiem, simplicem, aut compositam, sunt versa: vel inæquales, ubi non omnes corporis partes æquabiliter ad aliquam intemperiem sunt perductæ.

III.

Quæ sint species malæ compositionis, vel, ut loquuntur, morbi organici & officialis?

Illarum sunt quinque. I. est mala conformatio: quæ consistit primùm in vitiata figura, quæ varia est: ut si partes, quæ natura deberent esse rectæ, curventur, quemadmodum in valgus, & vatis accidit. Adhæc si curvæ erigantur, si rotundæ reddantur quadratæ, si distorqueantur, aut quocunque modo legitima earum figura depravetur.

Deinde in cavitatibus & meatibus, quod vitium similiter multiplex est: cum scilicet, cavitates sunt obstructæ, adstrictæ, compressæ, angustiores redditæ, amplificatæ, plures, paucioresve factæ.

Tertiò in asperitate & lævitate, quando partes sunt læves, quas decet esse asperas: & contrà, asperæ sunt, quæ læves esse tenentur.

II. Est vitium in numero: idque geminum: unum in excessu, alterum in defectu. In excessu, quando plures partes adsunt, quàm adesse deberent: ut tertius testiculus, sextus digitus, duæ papillæ in una mamma: & mamma quatuor: quas in femina quadam Cabrolius vidit, ^{omnes} ~~ambas~~ lac fundentes. In defectu, cum sunt pauciores: ut fieri solet post detractionem aurium, amputationem brachij, aut pedis.

III. Magnitudo illegitima: eaque perinde, ut vitium in numero, duplex: altera in excessu, cum vel corpus totum, vel

pars aliqua supra modum excrevit: altera in defectu, quando diminutio totius, aut partis alicujus facta: & quidem vel statim à primo ortu, vel post ortum, à causa aliqua externa, aut interna.

IV. Non naturalis partium situs: qui fit, cum partes suo minimè stant loco, sed à suis sedibus recesserunt: ut videre est in luxationibus, & hernijs intestinorum atque omenti.

V. Conjunctio aut disiunctio partium incongrua: quando nimirum partes coherent, quæ disiunctæ esse debebant: uti fit in coalitu digitorum manuum & pedum, ani, & genitalium membrorum. Vel cum disiunctæ sunt, quas connexas esse decebat: quemadmodum contingit in labijs leporinis.

Atque hi simplices sunt organicarum partium morbi. Compositorum forma sunt varia. Vel enim organici morbi cum organicis: vel organici cum similaribus: vel organici cum communibus: vel uno eodemque tempore organici cum similaribus & communibus componuntur.

IV.

Quæ sint species Continui solutionis?

*V**aria similiter, ut intemperiei & male compositionis: & pro diversitate partium diversa quoque sunt sortita nomina: quemadmodum ex lib. de morb. caus. c. 11. l. 6. meth. med. c. 1. l. de constit. art. c. 6. & comm. 2. in l. Hipp. de artic. §. 48. colligitur. Nam in ossibus appellatur continui solutio κατάγμα, fractura, & τερνδαύ, caries. In carnosis partibus ἕλκη, ulcus, si quidem continuitatis solutio facta sit à re erodente, vel externa, vel interna: τραύμα item, vulnus, quando à re secante, perforante, rumpente, aut contundente inflicta. In carnosis musculorum portionibus ex distentione ῥήγμα, ruptio, seu ruptura. In nervosis, cum fibra similiter tensa rumpuntur, σπάσμα, convulsio cū ruptione. In mollibus ῥύγμα, & ῥύσις, punctura & punctio, quæ orta à re vulnerante, quæ tenuis atque acuta. In carnosis parti-*

partibus, & ossibus mollibus, qualia puerorum sunt, θλάσμα & θλάσις; collisio & contusio, quae à re gravi duraque inducta. In iisdem, eum cavitas aliqua derelicta, ενθλάσις, illisio. In ligamentis διασπασμός & διάσπασμα, divulsio. In organicis partibus απόσπασμα, avulsio, quando partes similes, quae in organicis prius coharebant, à se invicem sejunguntur, distractis divulsisque ligamentis, quae eas conjungebant. Est enim απόσπασμα separatio coalitus partium diversi generis. In ossibus cranij novem species ab authoribus recensentur.

I. est ρωγμή, fissura, sive rima, orta à re contundente, quae dura, gravis & obtusa, quae vel in cranium illapsa est, aut impulsiva: vel cranium ipsum ad illam est allisum, sic tamen, ut fracti ossis partes divise figuram & situm servant naturalem. Estque fissura vel lata, quae evidens est & manifesta: vel angusta valde, ideoque admodum obscura, ut neque ad visum, neque ad tactum, neque ad scalprum sese prodat, τρίχωσις, & τριχίασις, capillatio nuncupata. Deinde alia superficialia, quae primam duntaxat superioremq; cranij laminam penetrat: alia admodum profunda, quae usque ad duram matrem pertingit, ambasq; cranij tabulas pervadit. Adhaec longa vel brevis. Item recta, obliqua, transversa, flexuosa.

II. Απήχημα, resonitus, sive contrafissura: in qua pars cranij, non quae ictum excepit, sed quae ipsi opposita, finditur. Altera igitur ictu petitur: altera verò, quae illi è diametro respondet, frangitur. Hanc fracturam cranij Paulus pro figmento habet: Celsus verò realem esse statuit: eamque Nicol. Florentinus, testis oculatus, confirmat.

III. Hippocrati Φλάσις est, Galeno θλάσις & θλάσμα, contusio, sive collisio. Perit in illa figura & situs ossis laesi, non, ut in ρωγμή, manet. Non est, inquit Paulus, proprie loquendo fractura, sed cranij ad interna compulsio, cavitationem solum citra continui solutionem exhibens, ut videre licet in vasis stanneis, plumbeis, & aeneis, si foris contundantur. Adeò quandoque profun-

profunda est, ut utramque cranij laminam ad duram usque matrem adigat, eamque deprimat. Interdum levior est, qua tabula solum cranij exterior colliditur. Contingit hac species pueris maxime: eò quòd os, quod contunditur, in sese cogatur. Non potest autem in se cogi, quod perfecte durum est, ut adultorum. Potest autem, quod propter mollitiem flexibile, sicut puerorum.

IV. Ἐκπίεσις, effractura, in qua os ictum in multa fragmenta, schidia, atque testulas dividitur: hoc nomine à θλάσει discrepans, in qua, uti dictum, os manet integrum, & introrsum tantum compellitur, ut foris appareat cavum.

V. Ἐγχεισώμα, sive ἐγχεισώμα, suggrundatio. In hac os ictum in medio est depressum, ut etiam subjectam meningem crassam premat: circumcirca verò elevatum, ut foris sit cavum, intus convexum, instar suggrundarum, qua partes tectorum sunt prominentes, quib. pluvia & stillicidia à parietibus arcentur.

VI. Καμαρώσις, sive καμαρώμα, concametatio, seu testudinatio: qua ἐγχεισώματι contraria videtur. Vt enim in illo pars media ossis icti descendit ad meningas: ora verò elevantur, ut os foris sit cavum, intus convexum: sic in καμαρώσει media ossis portio elevatur atque attollitur, in modum fornicis, sive testudinis: extremitates autem ad meningas deprimuntur.

VII. Ἐδρα, sedes, qua ejusmodi cranij fractura est, in qua ludentis instrumenti vestigium remanet. Estque superficialia, vel profunda: longa vel brevis: ampla vel angusta: recta, curva, rotunda, triangularis, quadrangularis: in summa, figura tali, quali vulnerans instrumentum preditum.

VIII. Ἐκκοπή, excisio, sive excitio, in qua portio quedam cranij est excisa, sed nondum penitus ablata. Adhaeret igitur sane parti, sed elevata.

IX. Ἀποσκαλισμὸς, dedolatio, seu asciatio, nomen à τῷ σκαλιστῷ, ab ascia, sive dolabra, qua fabri lignarij utuntur, cum ligna dolant, sortitus. In hac enim fractura specie portio cranij est excisa est, & ablata, non amplius adhaeret ossi sano, ut in

πῆ.

V. Utrum

V.

Utrum detur intemperies aliqua simplex,
frigida maximè & calida?

A Verroës quatuor simplices intemperies repudiavit. Frigida enim sine humida consistere non posse videtur: quoniam frigus concoctiones partium impedit: ijs autem impeditis, proveniunt excrementorum oboritur, qua humidam intemperiem pariunt. Caliditas verò siccitatis causa est. Verum, etsi dua istae qualitates activae diu forsan solitariae esse nequeant, praesertim si fuerint intensiores: tamen aliquandiu durare posse solitarias experientia probat. Scimus enim, usuque compertum habemus, pulmones, hepar, lienem, renes, viscera quaedam alia, in multis esse praecalida, neque tamen siccitate laborare. Novimus, ventriculum, uterum, & intestina, frigida esse quandoque excessivè, & tamen non semper cum humiditate conjuncta. Nam si caliditas consistere potest tam cum siccitate, quam cum humiditate excellenti, quid queso obstat, quò minus possit etiam conjungi cum utraque qualitate moderata? Posse autem calorem combinari cum siccitate intensa, febres hecticae docent. Posse etiam cum humiditate excedente sociari, inflammationes & aqua calefacta ab igne ostendunt. Rursus, si frigiditas stare potest cum humiditate & siccitate exuperante, quidni ergò cum ambabus qualitatibus modicè se habentibus, & in sanitatis adhuc latitudine contentis, cum omnibus in confesso sit, Senes frigidos esse atque siccos?

VI.

Utrum intemperies partium simularium possint reverà pro morbis haberi?

Galenus agentem defendit, ponitque intemperies in simularibus 16. Quatuor simplices sine materia. Quatuor simplices cum materia. Quatuor compositas sine materia. Quatuor compositas cum materia.

Sed

Sed dici forsā posset, intemperies hasce potius morborum causas esse, quā morbos. Quid enim quæso calidam invehit intemperiem? quid frigidam? quid humidam? quid siccam? An non excessus caloris, frigoris, humiditatis, & siccitatis? At si qualitates istæ causæ sunt harum intemperierum, quomodo excessus illarum ipsa intemperies erit? Quod enim causa est, eodem respectu effectus esse nequit. Verū, facilis est nodi istius solutio. Distinguendum enim inter qualitatem causantem intemperiem, & intemperiem à qualitate causatam. Qualitas calida, frigida, humida, & sicca, sive intus in corpore lateat, sive foris suam habeat existentiam, intemperies nequaquam est, sed causa partibus similaribus intemperiem imprimens. Ipsa verò intemperies effectus illius qualitatis est, & ab illa dependet. Unde non rectè concluditur, intemperies non morbos, sed morborum causas esse. Sunt quidem ipsæ causæ lesarum actionum in similaribus, attractivis scil. retentricis, concoctricis, expultricis, & assimilatricis: at ab aliis causis, internis, vel externis, originem trahunt.

VII.

Num simplices existant intemperies, cum, vel sine humoris præsentia?

Dictum fuit supra, Averroëm quatuor simplices intemperies damnasse, hac addita ratione, quòd frigida sine humida, & calida sine sicca esse nequeat. Verū, quid respondendum, ostensum. Nunc ratio adferenda, cur neque simplices materiales intemperies locum habere possint? Ea autem esse videtur, quòd quilibet humor duabus polleat qualitatibus: sanguis calida & humida: bilis calida & sicca: melancholia frigida & sicca: pituita frigida & humida. Iam quicumque humor simplici intemperiei adstiterit, efficiet, ut intemperies sit composita: idque vi qualitatis gemina, qua est imbutus. Par ratio esse videtur intemperiei, que dicitur simplex & immaterialis. Nunquam enim simplex, sed perpetuò composita esse videtur. Id quod præter

ratio-

rationem problem. 5. allatam hæc quoq̄ confirmari potest: quoniam res omnes, sive externa, sive interna, quæ nos alterant, non una, sed duabus qualitatibus prædita sunt: dicunturq̄, vel calida & sicca: vel calida & humida: vel frigida & sicca: vel frigida & humida. Ideoque duabus qualitatibus nos alterabunt, & per consequens non simplicem, sed compositam intemperiem introducent.

Sed contra hanc opinionem sic argumentari licet. Si compositum extat, extabit & simplex, quod compositi est principium. Ad juxta istud placitum compositum extat, Ergo & simplex. Ergo simplex datur intemperies, materialis pariter & immaterialis.

Ad rationem verò adductam respondetur, tametsi res nos alterantes non una qualitate donata sint, tamen necesse non esse, ut secundum plures qualitates nos alterent, & compositam inducant *διανεστικῶν*: duab. de causis. I. quia non amba qualitates in qualibet alterante causa ita excellunt, ut secundum utramq̄ nos afficiant. Potest enim una aliqua qualitas in aliqua causa alterante mediocritatem excedere: altera vero intra limites mediocritatis se continere. Ideoque fieri quoque potest, ut altera intemperiem causet, quæ scil. est intensa: altera verò, quæ remissa, non item. II. si de miscella humorum sermo sit, quæ esse solet in affectibus pluribus, præsertim autem in tumoribus præter naturam, qui dicuntur spurij, deprehendetur, unius humoris qualitatem alterius qualitatem castigare: v. g. frigiditatem caliditatem, aut contrà: & siccitatem humiditatem, aut contrà. Et sic simplex duntaxat materialis intemperies orietur.

VIII.

Nunquid calida & humida concedenda intemperies, quæ morbus similis censeretur debet?

Hoc negari posse videtur, & negavit etiam Athenæus: ut

B

ex

ex Gal. l. 1. de temperam. c. 3 patet. Ratio est ista: quoniam calidum & humidum sunt corporis nostri primordia. Semen quippe & sanguis maternus, ex quib. generamur & constituimur, hisce qualitatibus prädita sunt. II. quia calido vivimus, humido nutrimur. III. quia hæ qualitates Naturæ nostræ amice sunt & familiares. IV. quia Ver ob ambas hasce qualitates ab Hippocrate aphor. 9. sect. 3. dicitur ὑγιεινότερον ἢ ἡμισα θαλάσσιον, saluberrimum & minimè exitiosum. V. quia homines calidi & humidi temperamenti vivaciores sunt aliis, & longioris ævi.

Respondendum autem est per distinctionem. Nam caliditas & humiditas moderata pro morbo similari haberi non potest: quoniam tantum abest, ut actiones ledat, ut eas etiam summopere promoveat. Excessiva verò omninò locum habet inter morbos partium similarium. Prior ergò inest primordius nostræ generationis, si secundum naturam se habeant: natura nostræ est amica: homines reddit vivaces: Veri, sanguini, adeòq; calido nostræ nativo est concessa. Posterior est pessima. Hinc scribit Galenus l. 8. meth. med cap. 7. homines calido humidoque temperamento præditos maximè omnium morbis putridis esse obnoxios. Hoc enim etiam per ipsam sanitatē proximè ad putredinem accedere. Conyici istud posse tum ex sudoribus, qui graviter in ejusmodi hominibus olent, tum ex urinis, dejectionibus, & ipsa ex-
πνοῇ, expiratione. Fætere etiam ait, ut hircos: ac propterea promptè admodum quavis ex occasione tum morbis aliis, tum verò & febribus corripiti. Nam qui hac intemperie laborant, cum cutis eorum est stipata, febrim effugere non posse asseverat. Sed nec cum magnam cruditatem contraxerunt, aut perusti fuerunt in Sole, aut tale quippiam aliud passi. Et lib. 1. de temperam. c. 4. prolixè ex multis Hippocratis locis planum facit, quòd calida & humida aëris constitutio, qualis est Austrina, gravium, putridorum, pestilentiumq; morborum sit feracissima: idq; ex eo confirmat, quòd nihil à sicco, nihil etiam à frigido putrescere so-
leat.

beat. Declarat hoc exemplo rerum externarum. Etenim, si vel carnes, vel quedam alia, à putredine præservare studemus, ea sale, muria, aceto, aut re alia, quæ siccandi facultate pollet, condire consuevimus. Experimur etiam, Borea spirante, qui ventus est frigidus & siccus, omnia quàm diutissimè à putredine servari immunia: contra facillimè putrescere statu aëris austrino, qui calidus est & humidus. Atq; hæc causa est, quòd idem ibidem illorum detestetur placitum, qui docuerunt, Ver calidum humidumque esse: & quia tale, etiam secundum Hippocratem optima ratione saluberrimum dici. Hi enim & sensui, & rationi adversantur. Sensui quidem, quoniam is vernum tempus planè temperatum esse percipit. Rationi verò, quia sanitati est accommodatissimum, eò quòd nulla ex quatuor qualitatibus in illo exuperet. Quodsi vel caliditas frigiditatem in eo multùm superaret, vel humiditas longè siccitatem excederet, & putredini foret obnoxium, & omnium anni temporum morbis maximè opportunum.

IX.

Deurné intemperies, quæ sit calida & frigida, itemque quæ humida & sicca?

Sunt nonnulli, qui non contenti 16. intemperiebus, quatuor adhuc alias adiiciunt, calidam & frigidam, itemque humidam atque siccam, tum immaterialem, tum cum materia, sive humore copulatam. Neq; absurdum esse opinantur, si dicatur, duas contrarias qualitates uni eidemque subjecto inesse. Probant hoc exemplo intemperiei inæqualis, febris hepiala, in qua corpus uno eodemq; tempore calorem & frigus sentit, febris leipyria, in qua exteriora frigent, interiora uruntur, hydrops, in quo & intemperies non rarò calida siccaque ratione febris observatur, & hydropis causa intemperies frigida & humida.

Verùm, cum contraria pellentis sint natura, in uno subjecto, & eadem illius parte, & uno eodemque tempore, & quidem in

intensis gradibus, esse non possunt. Exempla quod attinet, ijs hoc solum probatur, quod contrariae quidem qualitates eidem subjecto generali inesse queant, at speciali non item. Nam in leipyrria aliae partes frigent, aliae calent. In inequali dyscrasia haec partes hac, illae alia ratione sunt affecta. In hydrope cor aliquando ob putredinem ferri calet, pedes autem frigent.

X.

An praeter intemperiem alij quoque morbi similaribus insint partibus?

Inest ijs, uti monstratum, continui solutio, de qua tamen hic non amplius queritur. Queritur duntaxat de illis morbis, quos Fernelius & Argenterius similaribus partibus inesse dixerunt. Voluerunt autem, etiam Materiae & Formae morbos esse. Materia morbos vocabant materiae immoderationem: Forma morbos dicebant esse totius substantiae. Videatur Fernelius lib. 1. παθολογ. c. 7. & lib. 2. de abdit. rer. caus. cap. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. nec non Argenterius lib. 1. de morb. gener. cap. 4.

Ponit autem Fernelius materiae morbos numero octo: Mollitiem & Duritiem: Laxitatem & Adstrictionem: Tenuitatem & Crassitiem: Raritatem & Densitatem partium: quibus interdum addit εὐαισθησίαν, sensus ἀκρίβειαν, & ejusdem stupiditatem, seu ignaviam.

Formae morbos, quos morbos totius substantiae appellat, tradit duplices: manifestos & occultos. Manifestos nominat illos, qui manifestis ex causis partium substantiam demoliuntur. Occultos, qui cecis ex causis totam substantiam oppugnant. Et hos iterum in pestilentes, contagiosos & venenatos dispescit.

Pestilentes & malignos tribuit in graviores & leviores: itemque in insolitos planeque novos, & illos, qui frequenter observantur.

Contagiosos nuncupat, qui externi cujusdam veneni occursu & contagione inferri solent: ut sunt lues Venerea, elephan-

phantiasis, rabies, quæ à cane rabie correpto originem traxit.

Venenatos vocat, qui ex veneno, aut intus genito, aut assumpto nati. Ex illorum albo sunt epilepsia, strangulatus ab utero, quaedam syncope & cordis palpitatio. Ex horum familia illi affectus, quos venenum à vegetabilibus, animalibus, aut mineralibus & fossilibus corporibus petitum peperit.

XI.

Quomodo Fernelius tres morbos similaribus inesse partibus probet, & quo pacto illi respondendum?

Alt, in parte simili spectari tria: Temperamentum, Materiam & Formam. Cum autem horum trium naturalis constitutio sit sanitas, sequitur, uniuscujusque constitutionem præter naturam morbum esse. Tria igitur morborum genera in parte simili inde resultant. Vitium Temperamenti, quod dicitur Intemperies: vitium Materiæ, quod vocatur materia immoderatio: & vitium Formæ, quod corruptela formæ nuncupatur.

Nos Fernelio libenter concedimus, tria parti simili inesse, Temperamentum, Materiam & Formam. Largimur etiam, si homo valere debet, tria ista naturaliter debere esse constituta: sed negamus, quodlibet eorum peculiare pati morbos. Morbi enim subjectum non est neque Forma, neque Materia, neque Temperamentum, sed suppositum, h. e. compositum ex materia & forma, pars scilicet vivens, quæ actiones edit, quæ etiam à morbo laeduntur.

Inficiamur præterea, sanitatem positam esse in essentiali partium constitutione, quæ ex substantialibus principiis, materia & forma, resultat, sed duntaxat in accidentali: nimirum in evaporatione similarium, legitima compositione dissimilarium, & utrarumque unione, sive continuitate. Hujus namque constitutionis ratione, non illius sanitas & morbus corpori accidere dicuntur. Sunt enim sanitas & morbus accidentia separabilia, & proinde rei

essentia inviolata variè mutari queunt: ipsaque forma hominis substantialis aliàs cum sanitate, aliàs cum morbo conjuncta esse potest.

XII.

An vitia materiæ, quæ Fernelius recenset, novi & peculiare sint morbi, ab ijs, quos Galenus descripsit, planè diversi?

Respondemus, nihil novi adferre Fernelium. Nam quæ vitia materiæ recenset, vel morbi quidem sunt, sed non novi, verùm tales, qui ad intemperiem, aut morbos organicos referri queunt. Vel sunt symptomata: vel causæ morborum, aut symptomatum.

Etenim, nimia partium mollities, aut durities ab intemperie proficiscuntur: illa ab humida: hæc à sicca. Morbi ergò sunt in intemperie, quando actiones offendunt. Si non offendunt, symptomatibus in genere qualitatum tactilium annumerantur.

Excedens crassities & tenuitas morbi quidem sunt, at non novi, sed organici. Illa enim ad auctam, hæc ad diminutam magnitudinem pertinet.

Laxitas & adstrictio similiter morbi sunt, verùm non novi, sed rursus organici, qui ad laxos adstrictosque partium meatus reducuntur.

Raritas & densitas, perinde ut præcedentia duo vitia, morbi sunt organici, ad immodicè dilatatos, aut constipatos poros atque meatus partium pertinentes.

Possumus etiam dicere, vitia ista causas esse morborum. Nam si v. g. pori cutis ita sint constipati atque oclusi, ut ἀδυναμία illa διαπνοή, & halituosorum excrementorum, acrium maximè & mordacium, effluxus impediatur, tùm constipatio ista causa esse solet aliorum morborum, v. g. febrium diariorum, quemadmodum Galenus lib. 8. meth. med. cap. 2. docet.

Solet

Solet etiam excitare pruritem, scabiem, horrorem, rigorem &c.
Rursus, si iidem pori nimis pateant, ut frigidus aer facile possit
ingredi, in causa sunt aliorum affectuum: v. g. frigida intempe-
riæ ventriculi, intestinorum, uteri, cerebri, thoracis, ex quo pro
diversitate partium diversi morbi generantur: utpote aepsia,
bradypepsia, tormina ventris, destillationes, tusses, raucedines, co-
ryza, dyspnoea &c.

Denique acrimonia sensus & ἠσυχία virtus potius est
& res naturalissima, quam vitium & affectus præter naturam.
Non enim per se actionem lædit, sed tantum facit, ut, cum par-
ti alicui valde sensibili, v. g. orificio ventriculi, quod καρδία à
veteribus appellatum fuit, res acris & mordax offertur, v. g. ace-
tum, sinapi, piper, zinziber &c. facile molestiam, quam infert,
percipiat, indeque lædatur.

Sensus ignavia morbus non est, sed vel remissio vigoris,
vel, si sit effatu digna, symptoma in genere diminutarum actio-
num.

XIII.

Existantne morbi Formæ?

Fernelius & Argenterius affirmant: nos negamus. Nam
cum forma sit incorporea, per se pati non potest. Sunt quoque
morbi, ut antea dictum, compositorum, non principiorum compo-
nentium. Forma denique corrupta, aut destructa, (quod fieret, si
forma in morbis afficeretur) corpus saluum & integrum manere
non posset.

Quodsi tamen non tam τὸ πᾶν, quam ipsa διάνοια conside-
retur, admittere possumus morbos formæ, quos Fernelius & Ar-
genterius morbos totius substantia, alij rectius morbos occulta-
rum qualitatum nuncupant. Nam tales morbos Galenus quo-
que concedit, siquidem & pestilentialium, & malignorum, &
contagiosorum, & venenatorum morborum, & qualitatum occul-
tarum sæpius meminerit.

Hos.

Hos ipsos morbos probant deinde etiam causæ, quæ non manifestis & elementaribus, sed occultis qualitatibus in nos agunt: cujus generis sunt μιάσματα λοιμώδη, inquinamenta pestifera, ab Hippocrate νοσερά ἀποκρίσεις, morbide excretiones, ἀπόρροιαί νοσεράι, morbosa corporum defluvia, appellata: itemque venenata omnia, quæ in vegetabilium, animalium, & fossilium ac mineralium corporum genere latent.

Confirmant illos tertio mirabilia symptomata, quæ in peste, febribus malignis, lue gallica, elephantiasi, strangulatu ab utero, quadam syncope, & cordis palpitatione, ulceribus cancris & fistulosis &c. sese offerunt, quæ certè ab occultioribus causis, non nudis elementorum qualitatibus proficiscuntur.

Quarto, ipsa quoque curandi ratio eosdem validissime defendit, quæ per alexiteria, alexipharmaca, antidota, seu alexica, & alia, quæ, ut Galenus multis in locis loquitur, ὅλη τῆ ἔσῳα, à totius substantiæ proprietate, operantur, institui consuevit.

XIV.

An putredo partium, spiritus innati dissipatio, & nativi caloris extinctio, morbi sint totius substantiæ?

ITa videtur Fernelio, locis supra citatis, & quidem morbi totius substantiæ manifesti, ab intemperie tamen distincti, eidem esse videntur. Verum morbos non esse, ex sequentibus apparet.

Etenim, putredo facta, consummata atque absoluta morbus dici nequit, sed omnimodus mixti interitus.

Putredo autem fiens, quæ adhuc est in via, ad intemperiem refertur. Prodit enim à calore ambientis, & perit proprius & naturalis mixti calor: ut hujus quidem respectu, quæ putrescunt, fiant frigidiora: ratione autem caliditatis extranea & adventitia calidiora reddantur. Humidiora item: quia humidum, calore evocato, non amplius regi potest. Evanescit ergo, & quod reliquum est, cinis & terra existit. Spi-

Spiritus innati dissipatio, per vigiliis, inedias, labores, atroces dolores, vacationes immodicas, sponte, vel arte factas, morbus nequaquam est, sed symptoma in genere excretorum.

Caloris nativi extinctio mors est, vel totius, vel alicujus partis, minimè morbus.

XV.

Utrum maligna ulcera morbi sint totius
substantiæ?

Affirmantem rursus tuetur Fernelius. Verum, si per malignum ulcus, quod alias canceres vocatur, id intelligit, quod à maligna venenataque causa prodit, qualia sunt venerea, cancrosa, elephantica &c. sibi ipsi contradicit: eò quòd maligna ulcera inter morbos totius substantiæ manifestos reponat, lib. i. method. c. 7. cum tamen talia ulcera à causa occulta dependeant. Sin malignum ulcus id esse cum Galeno l. 4. meth. med. c. 5. statuatur, quod omnibus ritè decenterque factis, tamen non sanatur, aut difficulter admodum, nec non nisi longo temporis tractu, ad cicatricem perducitur: idque propterea, quoniam & partis ulceratae temperies est vitiosa, & pravi humores aliunde ad illam affluunt, non novum morbum invehit, sed talem, qui possit ratione ulceris ad continui solutionem, ratione vitiosa crascentis ad intemperiem, ratione denique amissæ carnis (cavum enim esse presupponitur) ad diminutam magnitudinem referri. Quod si, ut fieri plerunque solet, ob accursum humorum etiam tumor adsit, tum morbus & in aucta magnitudine adesse perhibetur. Nam non rarò compositi morbi se offerunt: & vel similes cum similibus: vel organici cum organicis: vel communes cum communibus: vel similes cum organicis: vel similes cum communibus: vel omnes simul componuntur: quemadmodum ex proposito exemplo perspicuum est.

An Phthisis rectè ab eodem inter morbos
totius substantiæ reponatur?

REponit eam Fernelius inter morbos totius substantiæ manifestos. At si manifestas habet causas, ut ipse non diffitetur, utique non novus, sed unus ex vulgaribus erit morbis. Provenit enim vel à falsa capitis destillatione: vel à pure, quod in cavitate thoracis post pleuritidem & peripneumoniam collectum, diutiùsque inibi detentum: vel à suppressione mensium, & hemorrhoidum, quæ in causa est, ut sanguis ad thoracem & pulmones regurgitans vasorum orificia aperiat, aut tunicas illorum dirumpat, & sanguis postea effluat, in pulmonibus colligatur, putrescat, & acrimoniam acquirat, quæ tandem tenellam, mollem, raram, laxamque pulmonum substantiam corrodat, & ulcus efficiat: vel à medicamentis, aut alimentis acerbis, quæ pulmones exulcerare valent: ut sunt spiritus vitrioli, salis, & nitri, acetum forte, raphanus rusticanus, sinapi, porrum, allium &c. vel à rebus pulmonum vasa rampentibus: cujus generis sunt ingens vociferatio, violenta spiritus cohibitio, valida tubarum inflatio, tussis ferina, vomitus insigni cum conatu & difficultate factus, saltus vehemens, cursus velox, equitatio dura & valdè corpus concutiens, &c. contundenribus, quæ obtusa sunt, graves & dura, ut ligna, lapides, metalla &c. perforantibus, quæ acuta, ut pugio, hasta, ensis &c. & secantibus.

Causa igitur sunt manifesta. Manifestum est ulcus pulmonum, quod species est continui solutionis. Manifesta intemperies, tum in pulmonibus ipsis, tum in corpore reliquo, quoniam semper adest febris. Manifesta est magnitudo totius corporis diminuta, quoniam contabescunt in corpore omnia. Manifesta denique figura partium vitiata. Temporis enim progressu oculi sunt cavi, tempora apparent collapsa, nasus conspicitur acutus, unguis incurvantur, scapula alarum instar prominent, denique
totum

rotum corpus in extremo φθίσως gradu' quasi vivum aliquod
skeleton refert. Nihil ergò hîc novi.

XVII.

Num continui solutio morbus sit utrisque
partibus, similaribus & dissimilaribus,
communis?

AVerroës contendit, continui solutionem in similaribus dun-
taxat partibus locum habere, in dissimilaribus nequaquam.

Argenterius contrà statuit, eam competere solis dissimilari-
bus, similaribus non item.

Galenus illam utrisque partibus communem vult esse.

Ratio Averrois est, quia in dissimilaribus tantum est conti-
guitas, continuitas nulla. Ideoq; persuasum habet, neque con-
tinui aliquam solutionem dissimilaribus accidere posse.

Ratio Argenterij est, quoniam continui solutio actionem si-
miliarium minimè ledit. At de natura & essentia morbi est,
ledere partium actiones.

Ratio Galeni habetur libro de differ. morbor. cap. 4. Si,
quid, inquit, commune inest omnibus partibus secundum natu-
ram se habentibus, quod aut usum aliquem, aut actionem ani-
malibus præstet, sequitur, eo vitiato, communem quendam mor-
bum existere. At commune quid omnibus inest partibus, similari-
bus pariter & dissimilaribus, nimirum unitas, seu continuitas.
Ergo in vitiata, solutave continuitate communis oboritur mor-
bus, qui dicitur ἰσώσεως, ἢ συνεχείας λύσις.

Atque huic opinioni nos quoque subscribimus.

Ad Averrois autem argumentū respondemus negando, quòd
in dissimilaribus nulla sit continuitas. Omnes enim procul dubio
concedent, venas, nervos, arterias, ureteres, poros cholidochos &c.
partes esse dissimilares, & quidem in prima illarum classe conten-
tas, quæ ex paucissimis compositæ sunt similaribus. Atqui continui
solutionem, h. e. erosionem, ruptionem, contusionem, perforationem,

incisionem, sive sectionem patiuntur. Videmus insuper, venam
cavam cum dextra cordis parte, propè auriculam dextram, con-
tinuam esse: principium venae arteriosae cum cordis basi dextra
similiter: itemque principium arteriae venosae cum auricula cor-
dis sinistra, & initium arteriae magna cum cordis capite in parte
ejus sinistra. Cum corde enim haec vasa coalverunt. At coalit-
us species continuitatis est propriissima, teste Aristotele lib. 5.
phys. cap. 3. Compertum praeterea habemus, in ceteris partibus
dissimilaribus, non tantum ἀφ' ἑαυτῶν, contactum, sed & σὺμϕύσις
& partes diversi generis per fibras & membranas coaluisse. Ho-
rum enim vinculorum fines unum fiunt cum partibus, quas co-
pulabant. Proinde quando σὺμϕύσις ista in dissimilaribus est so-
luta, continui facta solutio dicitur. Est enim in hisce partibus &
contactus, & coalitus diversarum partium: qui si solvatur ob
vinculorum illorum diremptionem, continuitas soluta statuitur.

Ad Argenterij rationem rursus per inficiationem respon-
demus. Cum enim actiones similarium, maxime attractio, reten-
tio, & expulsio, in plerisque similaribus per fibras obeantur, ra-
tioni consonum est, fibris corrosis, dissectis, contusisve, actiones si-
miliarium impediri. Quodsi & concoctionem offendi dicamus,
haud sanè absurdum quid statuemus. Reliquis enim laesis, neque
concoctio suo fungi potest officio.

Huc accedit & ista ratio, quoniam omnes largiuntur, dupli-
cem esse naturalem similarium constitutionem: unam propriam,
illarum nimirum ἐκπασίαν: alteram communem, ἐνωσις, sive σὺ-
νέχεσις. Quare, si utraque naturalis est, & utraque ad actiones
earum obeundas necessaria, sequitur & δυσκράσις, & λύσις τῆς
συνεχέας illarum morbos esse. Illam quidem propriam, hanc ve-
rò communem.

Quodsi rationes istae leviores esse videantur, quàm ut θεῶν
nostram probent, perpendantur quæso vulnera, ulcera, rupturæ,
contusiones, species continui solutionis alia, & deprehendetur, si-
milares partes per illas haud mediocriter suis in functionibus
impe

impediri. Nam cum naturalis similarium partium constitutio inserviat earum actionibus obeundis, sequitur, constitutionem earum præter naturam ipsidem officere. At naturalis harum partium constitutio in ἐνωσιᾷ & συνέχειᾳ, uti dictum, consistit. Proin utraque actionibus earum inserviet: & contraria, h. e. διασπαρῖα ἢ λύσις τῆς συνέχειας ipsidem officiet, & vitiabit.

Si rogetur, quam ob causam ἐνωσις ἢ συνέχεια similaribus necessaria sit? Respondetur, ut virtutis fieri possit communicatio, tum vitalis, quæ singulis partibus ad vitæ continuationem est necessaria, tum animalis, ut spiritus animalis, qui organum illius est, diffundi disseminarique possit per partes continuatas, quæ vel sensum solum, vel sensum & motum simul habere debent. At ista communicatio præstari non potest, nisi partes sint continuæ. Vnitas ergo & continuitas similaribus partibus per se competit: & ob id ~~soluta~~ unitas non minus ipsis necessaria est, ac organis, sive dissimilaribus.

XVIII.

An si dissimilares partes continui patiantur solutionem, eadem quoque affligantur similes, & vice versa?

Cum dissimilares ex similaribus sint compositæ, fieri vix posse videtur, quin illis solutis, hæ coafficiantur, præsertim cum non tantum sint contiguæ, verum etiam suo modo, ut præced. problem. dictum, continuæ. Apparet hoc in ulceribus, & vulneribus, in quibus si organum totum sit corrosum, aut dissectum, aut perforatum, aut contusum, aut disruptum, etiam similes partes similiter sunt affectæ. Sunt tamen, qui asseverent, necessarium non esse, ut divisis dissimilaribus etiam similes dividantur. Proferunt enim ἀποσπάρματα, in quibus similes partes à se invicem separantur, nulla tamen in illis facta unionis solutione.

Vtrum verò similaribus solutis, necessario etiam dissimilares continui solutione conflitentur, dubium est. Nam cum hæ ex

illis sint conflata, rationi consonum esse videtur, corrosis, sauciatis, tensis, aut fractis similaribus, etiam dissimilares simili vitio laborare. Verum, res secus se habere videtur. Etenim, fractura saepe fiunt in cranio, brachio, cubito, manu extrema, crure, tibia, pedeque ultimo, reliquis similaribus organum constituentibus minimè solutis. Item vena, quae similes sunt πρὸς τὴν αἰδοῦσιν, non raro in organicis partibus rumpuntur, & corroduntur, organica parte, quam ingrediuntur, illasa. Sic membrana viscera involuente quandoque unionis sustinent solutionem, visceribus ipsis nihil tale patientibus.

XIX.

An illa duntaxat continui solutio hoc nomen mereatur, quæ evidens est, sensibilis, & manifesta?

Evidentes & sensibiles continui solutiones se offerunt in fracturis, ulceribus, vulneribus, carie &c. Sunt tamen prater illas etiam aliae, quas Galenus comm. 3. in lib. Hipp. de fractur. §. 34. non quidem πρὸς αἰδοῦσιν ἐναργῶς φαινόμενας, ἀλλὰ πρὸς γε τὴν ἀλήθειαν αὐτὴν λόγῳ θεωρητῆς, non sensu quidem evidenter sensibiles, sed mente & intellectu aestimabiles appellat. Et tales in intemperiebus dolorosis observantur. Intemperies enim derepentè, subito & violenter facta διαίρεσιν συνεχείας, divisionem continuitatis inferunt: quæ postea doloris causa est. Tales quoque in tensionibus musculorum, tendinum, ligamentorum & nervorum, tumoribus item prater naturam, qui nondum aperti, sunt. In colica inquit Galenus l. i. de loc. affect. cap. 2. ita quandoque intestinum colon à flatulento distenditur spiritu, ut perforari videatur: aut, ut alibi loquitur, non secus, ac si palus illi esset infixus. Simili modo in nephritide calculus ureteris capiti insertus vehementissimè illud distendit: quam distensionem, quæ continui solutionis species est, acerbissimus dolor, nephriticus vocatus, sequitur. Sic in arthritide humor ar-

sicu-

ticulos implens, ligamenta, tendines, membranas & periostia distendit: distendendo hanc continui solutionis speciem inducit: solvendoq; continuum dolorem creat. In his enim, & similibus affectionum generibus tres semper affectus concurrunt: I. causa distendens. II. continui solutio, quæ species morbi est: III. symptoma, nempe dolor.

XX.

Quo principio & fundamento investigari possit numerus morborum partium dissimilarium?

Hoc fundamento, si cognoverimus, quotnam ad rectam legitimamq; partium organicarum compositionem, h. e. naturalem constitutionem concurrere debeant. Quare, cum organica ex similibus componantur, quò talis compositio fiat, necesse est, ut similes I. sint decenter formata. II. iusta magnitudine prædita. III. convenienti numero comprehensa. IV. aptè inter se connexæ, aut à se invicem naturaliter sejunctæ. V. loco competentis sitæ. Hoc modo si se habeant, sana sunt, suasque actiones laudabiliter exercent. Sin minus, egrotant, suisque in functionibus impediuntur. Ex quibus consequitur, 4. vel 5. morborum genera esse in partibus instrumentariis: malam conformationem: illegitimum numerum: incongruentem magnitudinem: vitiosum situm: & depravatam connexionem, aut disjunctionem partium.

Quodvis autem horum generum suas iterùm sub se species habet, quemadmodum problem. 3. significatum.

XXI.

Num quævis cujuslibet partis vitiata figura morbus sit organicus?

Si actiones lædit, pro morbo agnosci debet. Si minus, & ex morbo nata sit, symptomatis nomen meretur, in genere mutatarum.

tarum qualitatatum, quæ visu percipiuntur. Est enim figura unum ex sensilibus communibus, quæ à pluribus sensibus sentiuntur.

Lædit autem ambulandi actionem distorta crurum & tibiæ figuræ. Apprehensioni officit digitorum figuræ perversa. Locutionem impedit tortura oris. Symptomata verò sunt acumen nasi, cavitas oculorum, contractio aurium externarum, lapsio temporum.

XXII.

Sintne ipsa figura, numerus, magnitudo & situs partium præternaturalis morbi organici?

Morbus sanitati est contrarius: & propterea in eodem cum sanitate est prædicamento, nimirum in qualitate: non in substantia, non in quantitate, vel continua, vel discreta: non in situ, vel ubi. Proinde neque figura ipsa, neque magnitudo, neque numerus, neque situs ipse morbus est, sed figuræ, magnitudinis, numeri & situs vitium. Hoc est, ut clarius mentem nostram aperiamus, non res ipsa, in qua fit mutatio, & à statu naturali recessus, morbus est, verum illa vitiosa diæbetis, sive qualitas, quæ ex accidentibus modo recensitis, sed vitiatis, resultat, quæq; facit, ut corpus ejusque partes suis in actionibus lædantur.

XXIII.

Utrum ἀναστόματος morbus sit organicus in genere vitiatorum meatuum?

Videtur hoc negandum esse, eò quòd ἀναστόματος nullam lædat vasorum, arteriarum scilicet & venarum, actionem. Actio autem vasorum istorum est ἀνάδοσις, distributio sanguinis, tum vitalis, tum alimentarij: quæ diductis & reclusis eorum osculis minimè impeditur.

Verum, responderi potest duobus modis. I. quia naturale non est, hiare semper vasorum orificia. Aliàs hæmorrhagia fierent
perpe-

perpetuò, vel ad exteriora, vel ad interiora: idq; magno cum vite periculo. Nam si hanc ob causam sanguis flueret extra corpus per nares, per os, per ductus urinae, per venas hemorrhoidales & uterinas, tunc illa sequerentur incommoda, quae sequi solent immoderatum sanguinis profluvium: nempe caloris nativi diminutio, concoctionis privatio, cruditatis proventus, faciei decoloratio, frigidorum affectuum generatio, virium dejectio &c. Sin flueret ad partes corporis interiores, grumesceret, malignam indueret qualitatem, & gravissima symptomata excitaret: praesertim si se ad cavitationem aliquam insigniorem conferret. Paret etiam inflammationes ijs in partibus, in quarum poros atque meatus angustiores sese insinuaret.

Quod si ἀνατόμωσις naturalis non sit, sequitur, affectum esse praeter naturam: & quidem vel symptoma, vel causam morbificam, vel morbum. Symptoma dici nequit, quia neque ad actionem laesam, neque ad qualitates mutatas, neque ad excretionem, aut retentionem referri potest. Causa per se appellari non potest, quoniam propria virtute nullum inducit morbum.

Infertur ergò, morbum esse: non intemperiem, ut notum omnibus: non continui solutionem, quia vasa manent integra, & ipsorum duntaxat orificia diducuntur, & quae antea connivebant, recluduntur, vel ab externa, vel interna aliqua causa: v. g. sanguinis copia, ejus fervore, aut tenuitate, denique à facultatis retentricis imbecillitate, non potentis sanguinem in vasis retinere, aut clausa eorum oscula servare. Relinquitur ergò, morbum organicum esse in meatibus.

II. Quia tamen si reclusis istis orificiis sanguis effluat, non tamen decens & legitima illius fit distributio. Talis enim fit pellentibus vasis, & attrahentibus partibus famelicis, quib. sanguine opus est ad sui nutritionem. At apertis vasis à causa aliqua praeter naturam, effluit quidem sanguis, sed non defertur ad illa loca, quorum interest sanguine potiri.

III. Quia non tantum ἀνάδοσις, distributio, officium est

D

vaso-

vasorum, sed etiam καθεξις, retentio, sive conservatio sanguinis.
Quæ cum per ἀνασώμασιν lædatur, sequitur, eam morbum esse.

XXIV.

Nunquid lumbrici, calculi, grandines in pulmō-
nibus, unguēs in oculis, polypi in naribus, suffu-
siones, acrochordones, melicerides, stea-
tomata, atheromata &c. mor-
bi sint?

Galenus lib. de differ. morb. c. 8. hæc omnia inter morbos
in numero abundantè recenset.

Verùm, cùm morbus qualitas sit & accidens, lumbrici verò,
calculi, grandines, pterygia, polypi, & suffusiones, seu concreti
inter pupillam & corneam oculi tunicam humores, sint sub-
stantia, morborum nomen mereri minimè videntur. Sunt igi-
tur potiùs quorundam morborum & symptomatum causa. Nam
lumbrici varia excitare solent symptomata, v. g. convulsiones,
tormina ventris, & si fuerint plures, maciem corporis, & intesti-
norum obstructionet. Calculi renum & vesicæ similiter par-
tes, quib. inhaerent, obstruunt, & atroces causant dolores, illi ma-
ximè, qui ureteribus, collo vesicæ, & urithra sunt infixi. Gran-
dines itidem fistulas pulmonum oppilant, & respirandi inve-
hant difficultatem, tussim insuper movent, suntque voci impe-
dimento. Ungues in oculis visionem lædunt, & omnimodam
cecitatem pariunt, ubi pupillam texerint. Polypus nares obstruit,
& respirationi officit. Suffusio visum lædit. Melicerides,
atheromata & steatomata ad abscessus toto genere præter na-
turam, & consequenter ad morbos organicos in aucta magnitu-
dine referuntur. Acrochordones, h. e. verrucæ pensiles, si actio-
nem vel manuum, vel pedum offendant, similiter ad organicos
morbos reduci queunt, quia tubercula sunt. Sin actionem non
vitient, pro symptomatibus haberi queunt, in genere qualitatuum
tactilium.

Recténe Galenus ea, quæ in numero abundant,
in res naturales & toto genere præter
naturam dispescat?

Cùm de speciebus morborum in numero Galenus agit l. de
diff. morb. cap. 8. docet, eas esse geminas, quasdam in exce-
dente, nonnullas in deficiente numero. Quæ deficiunt iterùm
duplicia esse scribit: quædam ex τῆ γενεῆ τῶν κατὰ φύσιν, ex al-
bo eorum, quæ secundum naturam se habent, ut sextum digitum,
tertium testiculum, polypum in naribus, unguem in oculis: quib.
addere licet duplicem, aut triplicem ordinem dentium, dentem
denti adnatum &c. quædam verò ὄλῳ τῶ γενεῆ παρὰ φύσιν εἶναι,
ut lumbricos, calculos, pus, grandines, callos &c. At quod est
morbus & præter naturam, quomodo res naturalis appellari potest?
Respondemus, Galenum res prioris generis naturales nominare,
non simpliciter & absolutè, sed duntaxat comparativè, quatenus
cum rebus secundi generis conferuntur, quæ planè contra natu-
ram sunt, & formæ externæ, & materia, ex qua generantur, ra-
tione. Prioris autem generis res similes quodammodo sunt rebus
naturalibus, v. g. polypus carni, unguis membranæ, dentes super-
flui dentibus necessarijs: fiuntque ex ejusmodi materia, quæ vel
planè naturalis est, ut digitorũ & dentium abundantium: vel non
longè à naturali abest: ut est pterygiorum & polyporum materia.

Quæ causarum genera à Medicis in morbis
considerentur?

Notorium est in scholis Medicorum & Philosophorum, qua-
tuor esse causarum genera, Materiam, Formam, Efficientem
& Finem. Quando autem Medici de morborum causis in gene-
re & in specie agunt, de efficientibus solum sunt solliciti: quem-
admodum ex Galeni libello de morbor. causis liquet.

Materiam ex qua, propriè & physicè dictam, morbi non habent. Est enim illa substantia: morbus verò accidens. At accidens ex substantia minimè generatur. Esset enim quiddam medium inter substantiam & accidens, quod absurdum, & contradictionem implicat. Materiam verò habent in qua, hoc est, subjectum aliquod, quod est pars corporis vivens, eaque vel similis, vel dissimilis.

Forma morbi praediti sunt, quali accidentia alia. Consistit autem illa in natura, essentia & quidditate morbi, tum in genere, tum in specie. Sita est verò formalis morbi ratio in quadam diabètei ἢ κατὰσχευῆ preter naturam, à qua actiones partium vel abolentur, vel diminuuntur, vel augentur, vel corrumpuntur & depravantur: cujus omnes morbi sunt participes. In specie tamen quilibet morbus propria & peculiari forma praeditus est: aliaque formalis ratio est Intemperiei, alia Compositionis, alia Continui solutionis.

Finem in morbis Medici nullum considerant, quia morbi non boni, sed mali rationem habent. Ajunt tamen quidam, lesionem actionis finem morborum esse. Sed ea effectus potius morborum est, quam finis. Theologi dicunt, finem morborum, omniumque aliarum calamitatum esse, ut hominum peccata puniantur, & ut ad pœnitentiam, preces, ac vitæ novitatem excitentur: quod libenter admittimus. Superest ergò Causa efficiens, quàm solam in ἀἰτιολογία morborum Medendi artifices perpendunt.

Materiam verò in qua, sive subjectum morborum, explicuit Galenus in libris anatomicis, in quibus de partibus corporis humani differitur.

Formam edocuit libello de differentiis morborum.

Efficientem libello de Causis morborum proposuit.

Effectus libro de symptomatum differentiis eorumque causis declaravit. Fons enim & scaturigo symptomatum secundum Galeni placitum morbus est.

Quæ sit vera & perfecta causarum morbi-
ficarum divisio?

HAEC esse videtur. Causa morborum vel sunt evidentes, & manifestæ, quæ sensibus deprehenduntur, sive extra corpus sint, sive in corpore, dummodo ad sui dignotionem nullis signis opus habeant: vel latentes & abditæ, quæ sensibus obviæ non sunt: ac proin indicijs egent, ut in notitiam veniant. Rursum evidentes & manifestæ vel non necessario nos alterant, quoniam illas vitare licet: ut sunt medicamenta, venena, ictus ac morsus animalium, balnea, ea quæ erodunt, quæ secant, quæ pungunt & perforant, quæ contundunt &c. vel necessario nos afficiunt, quoniam illas declinandi & fugiendi non datur potestas: ut sunt sex res non naturales: ex quib. Aër ambiens, Cibus ac Potus, externæ causæ dicuntur, quia extra nos sunt: Motus vero & Quies, Somnus & Vigilia, Excretio & Retentio, Animi denique pathemata internæ appellari queunt, quod in nobis ipsis fiant, non extra nos sint posita.

Latentes & abditæ vel sunt remotæ & mediatae, προηγμένα, antecedentes appellatae: vel proximæ & immediatae: & quidem iterum duplices: συνεκτικαί, continentes, quibus positus, morbi ponuntur: quibus ablati, morbi desinunt: quibus auctis, morbi augentur: quib. diminutis, morbi diminuuntur: & ἀνώνομοι, quæ generis nomine exprimentur, ac proximæ, ultima atque immediata vocantur: ab Aristotele in physicis ἀίτια ἀκρότατα, in logicis ἀίτια ἀτιώτατα nuncupata.

Graviter proin hallucinantur, qui συνεκτικὴν, conjunctam, proximam & immediatam causam pro una eademque habent. Omnis enim συνεκτικὴ etiam conjuncta est, proxima & immediata: sed non contrà. Ideoque hæc συνεκτικὴ latius patet. Præterea, proxima, ultima & immediata in omnibus morbis locum habet. At συνεκτικὴ nequaquam: sed tantum in illis, qui ἀναλογικῶς

fientes nuncupantur: ut sunt tumores præter naturam, obstru-
ctiões, febres putrida, quatenus tales.

Alias causarum divisiones in causas per se & per acci-
dens, in positivas & privativas, in principales & instrumenta-
les, in solitarias & socias, in foventes, sive conservantes & pro-
creantes, &c. consultò nunc silentio involvimus, quoniam sub
dictis comprehenduntur.

XXVIII.

An omnis morbus causam habeat proximam?
& num omnis à causa externa, atque in-
terna simul proficiscatur?

OMnis morbus, sicut & quivis alius effectus, causam habet
proximam, tanquam principium, à quo immediatè dependet.
Sed non omnis causam habet externam: neque omnis à causa in-
terna prodit.

Plurimi namque morbi ab externa solùm causa originem
ducunt: ut vulnera à rebus secantibus, perforantibus, rumpen-
tibus & contudentibus: multa ulcera à rebus foris nos ero-
dentibus: fracturæ à rebus contudentibus & secantibus: plera-
que luxationes à rebus rumpendi & contundendi vim haben-
tibus: intemperies tum calida, tum frigida, quæ ab aëre, nive,
glacie, aqua, medicamentis ejusmodi qualitatibus imbutis orta.

Sunt & non pauci morbi, qui ab interna duntaxat causa
originem trahunt: ut rupturæ venarum à copia sanguinis: luxa-
tiones articulorum à mucosa pituita, quam Hippocrates
aphor. 59. sect. 6. *μύζαν* appellat: ulcera pulmonum, renum &
vesica à pure acri, pituita salsa, bile porracea, aut æruginosa:
morbi hæreditarij omnes, & sic deinceps.

Si ex abundanti rogetur, an necesse sit, ut in cujuslibet
morbi generatione etiam causa remota concurrat? Respondetur,
causam proximam & immediatam, inter quam & morbum nulla
causa alia intercedit, semper esse necessariam: remotam, inter
quam

quam & morbum alia intervenit propior, non semper: cum causa proxima sepe sat virium habeat, ut sola effectum producat: quemadmodum ex modo dictis liquet.

Hinc tale oboritur *ὑπόσπμα*, quod in aliquibus aegritudinibus una solum causa reperiatur: in quibusdam plures, internæ atque externæ: in nonnullis plurimæ, catenatim quasi longaq; serie connexæ.

XXIX.

An præter humores nostri corporis etiam
aliæ extent internæ morborum
causæ?

Frequentissima quidem morborum causa internæ sunt humores, quantitate, qualitate & motu peccantes: & quidem non tantum vulgares quatuor, sanguis, bilis utraque & pituita, sed etiam serum: omnes sub plethora & cacochymia comprehensi.

Verum, sunt præter illos & causæ aliæ: v. g. pus, arenula, grandines, calculi, vermes, lac, semen, flatus, peregrina quadam prorsusque extranea corpora, qualia in abscessibus quibusdam, utpote meliceridibus, atheromatibus, steatomatibus, alijs, in quibus continens materia, mel, pulsem, sebum, cænum, urinam, ossa, lapides, ungues, pilos representans invenitur: quemadmodum Galenus l. de tum. p. n. cap. 4. & 5. testatur.

Humores autem peccantes aegritudinum esse causas internas, exinde liquet, quoniam ijs presentibus, morbi gignuntur, & evacuatis, morbi tolluntur. Id quod verum esse praxis confirmat quotidiana. Sanguine enim putrido exhausto, abundante diminuto, effervescente & ebulliente alterato, impetuosè vel extra corpus, vel ad aliam corporis partem fluente, ad loca contraria, & illa quidem aut distantiora καὶ ἴσιν revulso, aut ad vicina derivato, aut in medio itineris cursu intercepto, κακοχυμία insuper pituitosa, biliosa, melancholica, & serosa expurgata, morbos tum ab hac, tum à τὰνθώγα ortos cessare comperimus.

Flatus:

Flatus morborum causas esse, ἐμπνευμασώσεως uteri, ventriculi, intestinorum, & lienis, tympanites insuper, qui ab Hippocrate aphor. II. sect. 4. hydrops siccus vocatur, & pleuritis flatulenta, quæ spuria, satis superque demonstrant.

Pus creare morbos, empyema pleuritidi succedens indicat. Φθίσιν enim juxta Hippocr. aphor. 25. sect. 5. parit.

Arenulæ, præsertim crassiores copiosioresque, & renes, & ureteres, & vesicæ ostium obstruunt, sicut & calculi, acutosque cruciatus, nec non urinae suppressionem causant.

Grandines fistulas oppilant pulmonum, & difficultatem respirationis inducunt.

Vermes, si multi sint, intestina obturant, dolores ventris creant, ἀργοφίαν invehunt, subtracto homini alimento.

Lac, si in quantitate excedat, & in qualitate corruptum sit ac vitiatum, & tumores inflammatorios, & abscessus, & ulcera, & dolores atroces mammarum gignit.

Quid semen in mulieribus efficiat, si sit diutius retentum, & ex diuturniore mora in vasis suis, præsertim in juvenculis & viduis, depravatum, Galenus lib. 6. de loc. affect. c. 5. docet: gravissimum scil. illum horrorisque plenissimum affectum, strangulatum ab utero, quo quæ correpta sunt, mortuis similes, sine pulsu, sine respiratione, omni sensu, motu, memoria, ratione, & phantasia privata, toto corpore refrigerata, jacent.

XXX.

Quis affectus pro morbo in deficiente numero, quis pro morbo in diminuta magnitudine habendus?

AD hoc problema responderi potest ex Galeni lib. de differ. morb. c. 8. Nam si pars aliqua tota, v. g. brachium, manus, digitus, auris &c. desideretur: idque vel naturâ, in prima formatione, quæ fit in utero, ob defectum materiae, vel extra uterum, casu quodam, aut necessaria aliqua χεῖρσπυρία, cum scil.
mem-

membrum aliquod amputandum, morbus est in deficiente numero. Sin portio duntaxat aliqua alicujus membri desit, morbus in diminuta magnitudine statui debet. Ubi tamen observandum ex eodem Galeno, quod morbus in magnitudine deficiente ad illam partem, quæ remanet ac servatur, non ad eam, quæ ablata, referri debeat. Id quod Galenus ibidem exemplo lingue ex dimidio abscissa, ablata portionis pudendorum, aliarumque partium declarat. Nam quod ablatum est, morbo non laborat, quoniam actiones nullas edit, quæ ladi à morbo possent. Aegrum autem est membrum mutilatum, suaque in actione impeditur.

XXXI.

Sintné ἐπιγένημα, συμβεβηκός & σύμπτωμα
unum & idem?

Certum est, vocabula ista sæpius pro una eademque re usur-
pári. Sed reverà unum idemque non sunt. Nam ἐπιγένη-
μα propriè is dicitur affectus, qui supernascitur, subsequitur, su-
pervenit, & alij alicui affectui accedit, sive symptomata sit, sive
morbus: de qua significatione maxime illustra extant exempla
in aphorismis, prognosticis, prorrheticis, & Coacis prædictionibus
Hippocratis: descenditque à verbo ἐπιγίγνεται, ἢ ἐπιγίγνεται,
quod supernasci, postnasci, succedere & subsequi sonat.

Συμβεβηκός accidens est quodcunque, tam in sanis, quam in
aegris conspicuum: originem trahens à verbo συμβαίνειν, quod
evenire, accidere & contingere significat.

Σύμπτωμα à verbo συμπίπτειν derivatur, quod est coincide-
re: habetque significationem duplicem, generalem & specialem.
In genere sumitur pro quovis affectu præter naturam, sive mor-
bus sit, sive morbi causa, sive symptoma propriè dictum. In spe-
cie verò id solum denotat, quicquid præter naturam accidit, ex-
ceptis morbis & eorum causis: authore Galeno l. de symptom.
differ. c. 2. Hac in significatione tria juxta ejusdem placitum

E

sunt

sunt summa genera: Actio læsa: Affectus corporis simplex, sive mutata qualitas: & Excretio atque Retentio.

Ex μικροτέχνῃς tamen cap. 8. constat, vocem συμπτώματι & usurpari quoque pro quibuslibet accidentibus, quæ etiam in sanis, imò optimè constitutis corporibus visuntur. Ait enim Galenus, διαγνώσεις optima constitutionis corporis sumendas esse ab essentialiter inherentibus, & ab illis ἐνεργείαις ἢ συμπτώμασι, illis actionibus & symptomatibus, quæ essentialiter inherentia necessario consequuntur; quæ συμπτώματα aliàs etiam συμβεβηκότα appellari solent.

XXXII.

Quomodo Morbus, Causa morbi, & Symptoma inter se convenient & differant?

Conveniunt I. genere, quia sunt species affectus præter naturam. II. subiecto, quoniam in aegris duntaxat corporibus inveniuntur. III. quia tollenda sunt, cum sint præter naturam: & quidem in ordinaria & methodica cura primùm causa, deinde morbus: quibus sublatis, symptomata ultrò evanescent. Si tamen vehementer urgeant, & vel vires nimio perè debilitent: vel morbum foveant: vel novum morbum inducant, tum & ipsa peculiarem ablationem requirunt: non quia symptomata sunt, sed quatenus causa rationem induerunt: veluti Galenus l. 12. meth. med. c. 1. præclare monet.

Differunt autem, quia Morbus est illa διάθεσις, sive κατὰ σκευὴν παρὰ φύσιν, ἢ ἢσ ἐνεργεία βλάβησιν πρώτως, dispositio, sive constitutio præter naturam, à qua actio primùm, seu immediatè leditur.

Causa is est affectus, qui actionem ledit mediante morbo. Symptoma ille affectus est, qui morbo supervenit, eumque sequitur, sicut umbra corpus, teste Gal. l. de differ. sympt. cap. 1. Seu, ut alij definiunt, symptoma est, quicquid in corpore præter naturam se habet, exceptis morbis ac causis.

XXXIII.

An sola actionum offensa propriè sympto-
ma sit?

Persuasum est quibusdam, solam actionum lesionem propriè sibi symptomatis nomen vendicare: utunturque hac ratione, quoniam ea propriè censenda sunt symptomata, quæ morbum immediatè, & ita quidem, ut umbra corpus, sequuntur.

Iam cum hoc soli actionum lesionem competat, reliquis autem, quæ symptomata communiter solum statuuntur, mutatis scilicet qualitatibus, & excretionibus atque retentionibus, nequaquam tribui possit, concludunt, solas functionum lesiones propriè symptomata esse: mutatas verò qualitates & excretiones atque retentiones, sive suppressiones, symptomata duntaxat à mèνους appellari, & symptomata esse spuria atque illegitima.

Nostra sententia est, symptoma genus esse univocum, non ἀνάλογον: non predicari de actionum offensa πρῶτως & magis, de mutatis qualitatibus δευτέρως & minus, sed ἐπίσης, equaliter.

Concedimus interim, actionum lesionem principem locum inter symptomata obtinere, & nullum esse morbum, quem illa non sequatur. Quæ forsàn causa est, quòd ejus solius in morbi definitione à Galeno mentio facta sit.

Verùm, cum morbus omnium in universum symptomatum scaturigo sit, infertur, mutatas qualitates & excretionem atque suppressionem etiam à morbo dependere: cumque res sint præter naturam, quia solum in agrotantibus corporibus inveniuntur, concluditur, aequè symptomata esse, ac actionis lesionem. Nam si symptomata non sunt, quid sint, dici nequit. Neque enim ad morbos, neque ad causas morborum referri queunt.

XXXIV.

An morbi alios morbos consequentes sint
symptomata?

E 2

Conse.

Consequentes morbi illi dicuntur, quorum prior posterioris est causa. Id quod bifariam fieri Fernelius lib. 1. τ α β ο λ ο γ. c. 10. scribit: aliàs ex ipsa morbi natura: quemadmodum pleuritidem consequitur febris, sicut & aliarum partium inflammationes, atque erysipelata: aliàs ex partium conditione, quarum una cum altera affectum communicat: idque aut propter generis societatem, aut propter vicinitatem, aut propter communione[m] vasorum, aut propter situs rationem, cum scil. altera alteri est supposita, ut vesica renibus, pulmo, ventriculus, uterus &c. capiti: aut propter robur & nobilitatem unius, & infirmitatem, vel ignobilitatem alterius. Illa enim in hanc se exonerare solet.

Iam si affectus consequens, tanquam prioris effectus, verè ac propriè morbus est, verè ac propriè symptoma dici nequit, quoniam, quatenus morbus, ad nullum symptomatis genus referri potest.

XXV.

Denturne etiam actiones supra modum auctæ?

Galenus libro de symptom. diff. actiones tantum tripliciter laedi docet. Ait enim, eas vel aboleri, cum scil. planè desinunt: vel imminui, cum debiliter & imperfectè obeuntur: vel depravari, cum fiunt vitiosè, aliter nimirum, quàm secundum naturam fieri deberent.

Hisce Argenterius addit auctas, imò & tristes atque voluptuosas.

Auctas quod attinet, arbitramur, eas repudiandas non esse. Tales enim observamus in bulimia, canina appetentia, magna, crebra velocique tum respiratione, tum pulsu, palpitatione cordis, diuturnis vigilijs, siti inexhausta & insatiabili, cholera morbo, diabete, qui est immoderatum urine profluvium, alijsque actionibus, quæ sunt validiores, majores, diuturniores, frequentiores,

riores, celeriores, continuae, aut ratione alia mediocritatem excedunt.

Non enim ad abolitas & diminutas revocari possunt actiones, ut omnibus est in confesso. Nec depravatae appellari queunt, duab. de causis: I. quia in eiusmodi actionibus nulla apparet hallucinatio, sed solummodo excessus quidam in quantitate & tempore. II. quia aucta actio *ἐναντίως* opponitur diminuta. Ideoque erit cum illa in eodem genere. Cumque actio diminuta ad depravatam referri non possit, sequitur, neque auctam sub illa contineri. Alias contraria essent sub diversis generibus, quod falsum.

Tristes actiones quod attinet, sunt illae dolerosae. At dolor ad depravatas actiones in tactu pertinet. Nam quamvis obiectum dolorificum sub sua specie in dolore percipiatur, tamen quia id fit cum molestia, & quia organum male affectum est, ideo actio depravata iudicatur.

Actiones, quae cum voluptate exercentur, haud videntur symptomata esse, quoniam praeter naturam non sunt. Tantum enim abest, ut res voluptuosa naturam afficiat, ut etiam illi sit grata atque jucunda. Sic picta prata, culti horti, virides caeruleique colores cum voluptate quadam ^{sentiuntur} ~~videntur~~ ab oculis. Dulcisona hominum & avicularum voces ab auribus. Fragrantes odores ab olfactus organo. Suaves saporis à lingua. Temperatè calida & frigida ab instrumento tactus, quod membrana à plerisque statuitur.



P R A E S E S

Præstantissimo Domino Respondenti

ἰγίαίτες.

Curare egrotos, & conservare valentes,
Præservare illos, qui sunt in limine morbi.

E 3

Instau-

*Instaurare bono vita moderamine qui jam
Convaluere, isthac Medici sunt munera fidi.*

*Rarius ast Medicus conservat: rarius idem
Preservat: raro instaurat: quia millia multa
Sunt hominum, parvi faciunt qui dona salubris
Corporis. Ingluvies causa est, & copia Bacchi.
Propterea Medicus curat quoque crebrius egros.
Omnes namque student morbos depellere: pauci
Sese conservare & preservare laborant.*

*Ergo, quisquis avert morbos curare, necesse est,
Cognoscat morbos, causasque inquirat eorum.*

Ignoti siquidem nulla est curatio morbi:

Morbus adest etiam, donec sit causa remota:

*Quare, cum cupias curare fideliter egros,
Morbos & causas merito cognoscere eorum
Conaris vigili studio multoque labore.*

*Nec tantum novisse juvat generalia, que nunc
Defendenda ultrò cum applausu suscipis in te,
Sed quoque privatim specialia dogmata tractas.*

*Permuli secreta crepant: at nosse scienter
Qua pars agetur, quod sit morbi genus, atque
Qua sit causa, velut morbi primaria origo.
Hac sunt artificum secreta superba medendi:
Hac & dogmaticos à vanis optimè agyrtis
Secernunt: Medicis hac præbent nobile nomen.*

Spes Patris Patriæque magna nostræ,
Vidholzi, melius reducet ævum
Pax quæ mortua serius revixit.
Posthac classica longiùs canentur,
Nec tot funera concident ab ense,
Nativo Boreas gelu rigebit,
Nec flammis velut antè nos peruret.
Sic gaudebimus exiisse mortem?
Vana heu! gaudia sunt. Vbi que mors est,

Quam circumferimus. Fovemus intus
Morborum varias gravesque causas,
Nobiscum genitis malis perimus.
An sperabimus illa posse tolli?
Tu fontes aperis, doces medelam,
Iam confidimus illa posse tolli.
Et famam Patris olim ut assequeris
Tunc gaudebimus, ipsa mors fatiscet.

Honoris ergo

F.

Georgius Hieronymus Welsch.

F I N I S.

Cf 133


(x 260 9941)

VD17

Aus dem Nachlasse
des
Geh. M.-R. Prof. Dr. Ernst Blasius
der Universitäts-Bibliothek
geschenkt
von seinem Sohne
Dr. med. Heinrich Blasius in Berlin.







ROBLEMATA

PHYSIOLOGICA,

disputandum in inclyta Argentoratum Universitate proposita

à

PHILOSOPHO SEBIZIO,
ET PROFESSORE MEDICINAE
ORDINARIO, COMITE
Cæsareo, & Reipubl.
Archiatro:

Respondente

ULRICO WIDHOLZ,
AUGUSTANO.

22 Mensis Februarij.



ARGENTORATI,
BERHARDI WELPERI.

M. DC. XLIX.

*Druck à Probing
i Stein*

